

suorum monumentis: sed inglorii in locum quisquiliarum projicerentur, teste Alexandro ab Alexand. lib. VI. gen. dier. cap. XIV. Callias quidam Atheniensis, cum substantiam suam vino sorbisset, ideoque mediis frigoribus nudus incedere cogeretur, hoc dicitio passim notabatur: *Hic a vino deplumatus est.* Similiter fere Isaias, cap. XXVIII. ait de ebriosis: *Absorpti sunt a vino,* dum enim ipsi vinum absorbent, interim a vino absorbentur eorum vestes, pecuniola, supellex; ut non mireris, si quem helluonem lacerum et centumculatum videas incedere, vinum enim et cerevisia hos ei morsus infixere. Denique, interdum regna evertit, et urbes hostibus patefacit, uti partim sacræ litteræ, partim profanæ historiæ tradunt.

V. Tortor est et licitor; quia destruit sanitatem: unde Prov. XXIII. dicitur: *Ingreditur blande (vinum) sed in novissimo mordebit ut coluber.* Anacharsis philosophus dixisse fertur, vitem gignere tres uvas, unam sanitatis, alteram voluptatis, tertiam mœroris. Singulare enim Dei providentia videtur evenire, ut fere semper ebrietatem sequatur dolor capitis, stomachi, aut membrorum aliorum: ut sic vel hoc medio coerceantur ebriosis. Evenit enim quod Deus Cain prædixit: *Nonne si male egeris, statim præ foribus aderit peccatum tuum,* id est, peccati vindicta? S. Basilus, hom. 1. de jejuniis ait: « Sicut visum id quod summe splendet, hebetat atque vastat, et magni sonitus ac strepitus ob excessum, auditum; sic et isti ob assiduam et immodicam voluptatem sese vastant atque corrumpunt, et a delectationis via omnino avertuntur: » et ibid. « Famulus, inquit, profugit ab hero verberante, tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum. » Quare profecto in magno errore versantur ebriosis, qui voluptatem in ebrietate quærunt; siquidem ebrietas non conciliat, sed arcet voluptatem; januam enim voluptati claudit et sensum sopit: et præterea dolores variosque gignit morbos. Non dubito, si quis dolium vini afferet in forum et cum baculo assistens, vinum gratis offerret omnibus, ea tamen lege, ut singulos haustus singulis ictibus compensaret: non dubito, inquam, paucos fore aut nullos, saltem sensatos, qui vinum hoc gustarent. Atqui hoc facit ebrietas, quæ tot ictibus pulsat caput tuum, quot vicibus te ingurgitas et tuis quidem expensis: cur igitur non sapis?

VI. Homicida est; quia Eccles. XVII. dicitur: *Propter crapulam multi perierunt; qui autem abstinentes est, adjiciet vitam.* Unde non video, quomodo ebriosus coram Deo se excusaturus sit, qui immodico potu mortem sibi acceleraverit, vitamque donum Dei maximum, levi voluptate

perdidit. Mundani homines queruntur de asperioris vitæ religiosi, uti Capuccinis et Carthusianis, quasi inedia, frigore aliusque carnis castigationibus seipos enecent et mactent: sed longe alia res est, macerare corpus ut spiritus foveatur: et fovere corpus, ut spiritus opprimatur. Quod si culpa aliqua sit, nimio pœnitentiæ rigore vitam abbreviare: quanto major erit, deliciis se occidere. Quisquis ad Assuerum non vocatus accesserat, certissimam ejus indignationem et vitæ periculum incurrebat. Atqui ebrietate vitam sibi accidunt, seipos judici Deo non vocati sistunt importuno tempore. Merito igitur timere ejus indignationem, et periculum damnationis debent, præsertim quia ebrietas non tantum corporis, sed et animæ vitam petit. Hoc enim peculiare habet ex omnibus vitiis, quod hominem incapacem reddit pœnitentiæ et sacramentorum: alia vitia quancumque expelli possunt vel per unum contritionis actum, ac proinde hominem in periculo damnationis tam manifesto non constituunt. Et quoties fit, ac quam facile fieri potest, ut ebrii suffocentur, occidantur, in flumen cadant, cervicem frangant, etc. Ergo sicuti Sedecias rex effossis oculis, cæcus in captivitatem Babylonicam est abductus (IV. Reg. ult.) sic ebrii rapiuntur ad infernum. Quomodo ergo se defendent, quomodo effugient, cum mente capti sint: *Genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* ait Dominus, Matth. XXIII. Viperæ (si Aristoteli, I. VIII. animal. c. IV. credimus) vino capiuntur ebriæ, dispositis eis ad bibendum vasis: et facillime quidem, utpote tunc inertes, et inertes. Pari modo ebrii capiuntur a diabolo, parique facilitate. Et quid si durante ebrietate e vita abripiantur? Quorsum ibunt miseri? Sane capitulum: *Audivimus de reliq. et vener. sanet. ait: Via pro talibus inebrietatibus peremptis, Ecclesia permittit orare.* Nemo facile militi persuadeat, qui hostem aliquem sibi insidiantem metuit, uti gladium suum deponat. Gladius quo contra diabolium nos defendere debemus, ratio est, cujus usu et beneficio conteri de peccatis nostris, et pœnitentiam agere possumus: hostis vero noster semper nobis a tergo est. Unde monet S. Petrus, in sua can. epist. 1. cap. V. *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret.* Neque vero quis dicat, se hoc gladio discingi non posse, neque inebriari, licet fortiter bibat: scire se ferre vinum, etc. Non enim major est patriarchis illis Noe et Loth, qui a vino superati et decepti fuere. Jam vero quæso te, si furibus in domum tuam ingressis, filius tuus monstraret et offerret claves omnium cistarum, unde tibi maxima damna a

furibus inferrentur, quam puero haberes gratiam? Ebrietas hoc facit, dat enim claves vitiis, quæ misere te expolient.

Postremo, his minatur Deus, Jer. LI. dicens: *In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus.* Ad litteram quidem Balthasari et Chaldæis, quos inter pocula jam ebrios et semisopitos Cyri gladius repente oppressit, ut habetur, Dan. V. Interim tamen aliquos quoque ebrietati deditos tangit hæc communicatio. Et ipsos enim suo tempore, cum minime expectant, sæpe apprehendit inopinata mors et a somno ebrietatis ad perpetuum inferni somnum abripit. Balthasari tunc scriptum fuit: *Mane, thecel, phares.* Idem judicium expectat ebriosum. *Mane,* numerati et succisi sunt dies vitæ tuæ: *Thecel,* inventus es minus habens virtutum, quia gravis vino: *phares,* divisum est corpus tuum, quo ita saginas ab anima: et datum est vermibus in epulum, anima dabitur dæmonibus in ludibrium et tormentum. Quod a nobis avertat Deus.

CONCIO IV.

CUR GERMANI AD EBRIETATEM PROCLIVIORES SINT, CAUSÆ.

I. Societas compotantium in tabernis. — II. Multa provocatio et propinatio. — III. Superiorum conniventia. — IV. Superiorum et clericorum exemplum malum. — V. Communitas et frequentia hujus vitii.

THEMA.

Manducaverunt et saturati sunt. Marc. VIII.

Facile mihi persuadeo nullum huic convivio Dominico Germanum interfuisse, quia audio in evangelio convivas manducasse tantum, non bibisse, et tamen saturatos esse. Quod si Germanus quispiam interfuisset, non crederetur saturatus, nisi etiam alacriter bibisset; adeo amicus est Germanis potus liberalior: id quod ego mallem tacere, si non toti propemodum orbi compertum esset. Celebretur passim (apud Pontan. et Beierl. in apophthegm.) Germanus quidam, qui cum ludis publicis, quos instituerat Ferdinandus imperator in nuptiis Hippolytæ et Alphonsi filii sui, inter omnis generis homines interesset, et siccos ludos cerneret, repente vocem efferens, clamabat: *Valeant ludi quibus nemo bibit.* Nimirum ex cantu statim avis cognita fuit, quæ hac voce testatum fecit, Germanos esse bibaces. Non ergo vos Germani interfuitis huic evangelico convivio: alioqui forte similiter inde decessissetis. Serio o conterranei, erubescere debemus, quod pene in toto mundo tradu-

TOM. III. — PARS ÆSTIVALIS.

cimur ut bibaces, imo ut ebriosis. Et licet magna pars Germanorum ab hac labe sit immunis, reliqua tamen vitio huic obstricta toti nationi maculam aspergit. Unde si recte sapimus, merito nobis irasci debemus, omnemque adhibere curam, ut hac nota nos liberamus. Quod si facere velimus, ante omnia radices morbi nostri cognoscere debemus: quas ego ex parte ostendam, et ni fallor, rem acu tangam.

I. Causa hujus mali est societas compotantium in tabernis, ubi alter alterum exemplo et hortatu incitat ad bibendum: qui si domi suæ biberent, nequaquam eo intemperantiæ procederent. Sunt enim tabernæ Germanorum velut area quædam aucupis, in qua dæmon velut auceps, plurimas congregat et captat animas, ut pene nulla evadat. Et quemadmodum Circe trivenefica suos amatores pellexit in suas ædes, posteaque philtro potatos in varias mutavit bestias, prout cecinere poetæ: ita et dæmon in tabernis transformat homines in bestias. Ibi enim amicitia sancuntur et firmantur, ibi fraternitates contrahuntur; quo fit, ut ægre ab invicem separentur: unde dixit Nahum, cap. 1. *Sicut spinæ se ab invicem complectuntur: sic convivium eorum pariter potantium.* Cauponones etiam ejusmodi societates alunt, et quo diutius in cauponis desidant compotatores, eo ipsis gratiores sunt, quod si in privatis ædibus tales commensationes fierent, ut plurimum citius abrumperentur; nemo enim paterfamilias libenter e domo sua facit tabernam, nec libenter patitur in ea potatores diutius consistentes, et domum clamoribus inquietantes. Jam vero in Germania tabernæ longe plures sunt, et frequentantur longe magis a civibus et indigenis, quam in aliis nationibus, ubi hospitia non sunt nisi pro peregrinis. Hanc ob causam Claudius imperator cauponum tabernas, in quas cives coeuntes potabant, demolitus est, Dionel. LX. teste. Carolus IX. et Henricus III. Galliæ reges edicto caverunt, ne qui cauponariam exercerent, aliquem incolarum vel civium cujuscumque conditionis sit, ad se potandi causa reciperent, nisi extraneo, vel eo, qui ibi domicilium non habet comitatum, pœna arbitraria in transgressores legis statuta, Cod. Henr. III. Quod idem observatum memini Augustæ Vindelicorum: idque æquissimum est. Nam in tabernis cives multo plus absument, uxoribus et liberis sua abliguriunt, jurgiis et litibus se exponunt, de symbolo solvendo parum cogitant, liberales vel potius profusi sunt erga alios, etc.

II. Mutua provocatio, quæ fit per propinationem. Hanc enim consuetudinem propinandi et respondendi tam religiose observant Germani, quasi sancta quædam lex foret. Imo cum quis

bibit poculum, quod alteri prius non propinavit, rictur, et dicitur bibisse more Helvetico: quasi vero aliæ nationes præter Helvetiam nullæ essent, quæ propinationibus abstinerent; cum verius nullis fere id consuetum sit extra Germaniam. Sane Itali vocem illam *brindisi* a Germanis mutuati sunt, et per jocum usurpant ad confusionem Germanorum. Fuit quidem hic mos olim, ut opinor apud Germanos bonus et laudabilis, ut priusquam biberent, alteri offerrent poculum benedicendum. Quid enim aliud sonant verba quæ ipsi tunc proferunt, nisi: Offero vobis, scilicet benedicendum? Unde alter respondet: *Deus benedicat*. Nequaquam vero significat: Offero tibi ut respondeas; sed ut benedicas. Modo autem hic ritus factus est irritamentum ebrietatis. Laudandus itaque mos Gallorum, Italicorum, aliorumque, qui vel non propinant, vel non transmittunt pocula, nec petunt responsum. Sic enim præterquam quo vitatur ebrietas, vitatur etiam cura superflua se exonerandi nimietate poculorum: vitatur etiam periculum contagii et horroris, quæ intervenire quandoque possunt.

Huc accedit mos propinandi in magnatum sanitatem, et quidem grandiora ac pleniora pocula, quæ nemo audeat respuere, nisi aliorum odium velit incurrere. Huc ergo omnes nervi intenduntur, et quandoque bibitur non ad ebrietatem, sed etiam ad certam ægritudinem, quæ autem hæc insania est, bibere ad aliorum sanitatem, et interim ad propriam animæ et corporis perniciem? Inimicus homo hoc excogitavit. Imprimis enim nonne rideretur, qui tibi in salutem Rom. imp. propinaret ollam plenam pulmento exedendam? Atqui eadem ratio est de potu immoderato, cur enim in aliorum honorem et sanitatem potius bibere convenit quam edere? Unde quidam sollicitatus ad ejusmodi grande poculum, promisit satisfactionem, si vicissim ei alter responderet in devoratione integri casei; quod cum is deprecaretur velut sibi noxium et impossibile: tum eodem modo se excusavit alter a poculo. Altera insania, quod tales ob aliorum honorem ultro sibi noceant. Refert illustriss. princeps Radzivilius, in sua peregrinatione Jerosolymitana, occurrisse sibi in Cypro insula hominem Turcicum velut dementatum, nudum, cultello armatum et plurimas in corpore cicatrices habentem, qui se ultro obtulit ad lancinandum corpus suum cultro in honorem imperatoris sui, si nummus Turcicus ei porrigeretur. Princeps hanc crudelitatem detestatus, rogavit, ut ne sibi noceret, dans nihilominus pecuniam. Quo facto, insanus ille sibi duas scissuras in pectore infixit, et proprio oruore se respersit, ita ut horreret prin-

ceps. Et quis, quæso non horreat? Jam vero nihilominus, imo longe crudelius quid agunt, qui in gratiam aliorum se inebriant, aut grandia pocula cum periculo ebrietatis exhauriunt, quia et corpori animæ nocent, adeoque proprio pectori duo gravia vulnera infligunt. Tertia est, quod per hoc alteri nihil prosint, æque ac insanus ille suo imperatori, nihil enim honoris aut emolumenti propterea advenit illi, in cujus gratiam bibitur, nisi quod multoties, in cujus gratiam potatum est, in ejusdem gratiam postea vomatur. Non est honor principi peccare in illius gratiam et porcum agere, unde dubium non est, prudentibus principibus id displicere. Laudarem etiam talem principem, qui abusum ejusmodi eliminaret, et pius potius pro se preces Deo offerendas aut superflua pocula pauperibus danda decerneret. Quarta est, quod ei, cui potum tam immoderatum propinamus in signum amicitiae, interim venenum miscemus, seu grave animæ vulnus infligimus. Audiamus S. August. serm. CCXXXI. de temp. «Cum ebrietatis, ait, malum, grave sit vitium et Deo odibile, ita per universum mundum a pluribus in consuetudinem missum est, ut ab illis, qui Dei præcepta cognoscere volunt, jam nec putetur, nec credatur esse peccatum; in tantum ut in conviviis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, et per inimicam amicitiam, adjurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant quam oportet. Qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine:» et ser. CCXXXII. «Excusatio falsa objicitur, persona potens me coegit, ut amplius bibam.» Sed hortatur ne obtemperet; martyres potius fiant: neque ad hominum vivorum, angelorum, aut reliquorum sanctorum nomina bibendum monet. Quinta, ad extremum etiam S. Joannis benedictio adhibetur, ut ita nullum omnino vacuum relinquatur in corpore sed omnia sint plena veluti cum dolium cerevisia impletum pulsatur tudite, ut subsidente cerevisia, quod superest vacui undique impleatur. Vetus quidem et laudabilis mos est bibendi ad amorem S. Joannis, vel in honorem angelorum et sanctorum, cujus moris meminit S. Augustinus, serm. CCXXXII. de temp. sed is tandem in abusum migravit, dum multi hac quasi illecebra se et alios potu sepeliunt: «Ignorantes inquit Augustinus, loco cit. quod nullus tam gravem injuriam sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quam illi qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere.»

Sic ille. Non est ista benedictio s. angeli, aut S. Joannis, sed diaboli, qui sua mancipia ante somnum ita benedicat. Et ita mortui sepeliunt mortuos suos.

III. Superiorum conniventia, qui vitium hoc non puniunt; quomodo aliis locis et olim punitum fuit ac nunc punitur. Sane Esther 1. de prægrandi illo convivio scribitur: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex constituerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet*. Unde dubium non est, impunem non futurum fuisse, qui vel ad ebrietatem biberet, vel ad eandem alios incitaret. Similiter Athenienses constituerunt enoptas, qui in conviviis observarent, quid quisque biberet, apud Athen. l. X. c. VII. Carolus Magnus lege olim vetuit, ne quis alium ad bibendum provocaret, ebriumque in exercitu aquam in posterum potare compulsi, ipse temperantiae pulcherrimum exemplum existens, apud tymp. in spec. magistr. signo LIV. Pittacus Mitylenensis, septem sapientum unus, ebrios si peccavissent, duplici poena afficiendos esse censuit; quia peccant primam, ebrietate; deinde, variis aliis modis, in naturam, in rempublicam, in seipsos: tertio, quia ebrietatem sequuntur varia incommoda et peccata: quarto, quia reddit homines ineptos ad omnes actiones honestas. Dionysius Syracusanus, cæteroqui tyrannus et acerrimus scelerum vindex, in odium ebriosorum, et ut Syracusanos ab ebrietate infames coaceret, potestatem fecit furibus, convivantium vestes clam auferre, Plut. in apol. ad Trajan. Germaniæ princeps quidam (si Maiolo, in diebus canicul. fol. DCCLIII. ult. edit. credimus) gloriantem quod uno die cerevisiæ ohmam integram exhaurire posset, fidemque, spectante principe ejusque ministris, de hoc facientem, fracta gula laqueo e patibulo jussit suspendi, indignum vivere asserens eum, qui (tantundem exhauriendo, quantum vix alii viginti) potum penuriæ auctor facile foret. Ad hæc Mahometi lex est, ut ebrius octoginta verberibus mulctetur, tymp. l. cit. unde in hodiernum apud Turcas, vel non sunt, vel comparere non audent ebrii. Illorum Bassa unus cum temulentiam exprobrare nobis vellet; Germanos quos ceperat magno numero milites ita Constantinopolim ad Sultani sui conspectum introduxit, ut publice per plateas in manium oculis, cachinnis et ludibriis spumantia vino vitra manibus gestarent, ut sup. conc. vidimus ex Serario, in Judith c. IV. Apud Hispanos ebrietas tanto habetur odio, ut ne testimonium dicitur ei, qui huic vitio ve semel obnoxius fuit, permittatur, ibid. In Italia si quis forte acrius (quod raro evenit) in publico

deprehendatur, exsibilatur a pueris catervatim accurrentibus, eumque luto impetentibus. Denique, ss. canones jubent tales excommunicari et ab Ecclesia expelli. Quod si igitur gladius hic produceretur, et ebrietas puniretur, non dubium, quin hæc infamia tandem liberaremur.

Sane in Augustanis comitiis, anno Domini 1548. præcipitur serio principibus, patribus familiis, ut domi propinatione omni abstineant ipsi, aliosque abstinere faciant: parochis item, ut ea de re populum creberrime in concionibus doceant.

IV. Superiorum et maxime clericorum malum exemplum, quod quam efficax sit ad seducendam plebem, nemo est qui nesciat. Nam imprimis tales non audent in ebriosos invehi, quia confunderent seipsos et merito audirent: *Medice cura teipsum*. Idcirco de hoc vitio altum silentium apud ipsos: quibus tamen merito id exprobrat Dominus per Isaïam LVI. *Canes muti non valentes latrare*. Secundo, licet illi ebriosos allatrent, parum efficerent, quia exempla multo efficaciora sunt quam verba. Si enim quispiam in taberna potitans et per fenestram prospiciens alios dehortaretur ab ingressu tabernæ, eo quod vinum hospes aqua miscuisset et duplici creta scriberet, etc. putas hunc aliquid sua concione effecturum? Annon statim audiret: *Quid ergo tu facis inibi?* Sic etiam ebriosus risu dignus esset, si alios a tabernis exigeret exire et ipse non exiret. Tertio, quia per eorum exemplum ebriosis fovent et defendunt suam intemperantiam, magnos se habere patronos rati, si idem in clericis et rectoribus suis videant, quamquam nihil minus damnationis habebunt illi, si eum clericis et superioribus suis damnentur. Quare si nil aliud deterrere clericos et superiores ab hoc vitio deberet, scandalum deberet. Taceo, quod indignissimum sit sacerdotibus ore adhuc fetente ascendere ad altare Domini. Taceo, quod temerarium sit, vino sepeliri eos, qui custodes ovium Christi sunt et perpetuas pro iis agere excubias debent. Taceo, quod ss. canones jubent ebriosos sacerdotes deponi ab officio et beneficio c. a crapula, de vita et hon. cler. et ex Conc. Laodicensi, olim non licebat sacerdoti, nisi ter poculum contingere, can. quando XLIV. dist. Taceo alia incommoda et peccata cum clericali statu maxime pugnantia, in quæ præcipit ebrietas. Id vel unum sufficere deberet ad cohibendos clericos, quod per hoc laqueus fiat subditis in suam et illorum perditionem. Utinam attenderent ad id quod Es. V. dicitur: *Audite hoc sacerdotes et attendite domus Israel et domus regis auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi et sicut rete*

expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum: et paulo infra subdit: In gregibus et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient: ablati sunt ab eis. Quia videlicet ipsi gregem abstulerunt a Domino, pravo suo exemplo

V. Communitas hujus vitii et frequentia. Hinc enim minus grave videtur vulgo inebriari: sicut prædari militibus, quia id ipsi communiter solent, licet sciant deprehensos passim suspendi. Multi sat superque purgatos se existimant, si dicant se non esse solos, qui huic vitio sunt obnoxii. Sed isti vehementer errant, non enim inde sequitur, minus grave hoc peccatum esse: sed ipsos cum plurimis (non solos) ituros ad infernum; et propterea inferni os dilatandum esse, ut plures simul devoret. Hoc omnino est, quod dixit Deus per Isaiam, c. V. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Et paulo post subjungit: Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et populus ejus et sublimes gloriosique ejus ad eum. Si unus fur multos prodat complices, non ideo ipse liberatur; sed plura patibula eriguntur, ut suspendantur omnes. Quid vero? Num leve peccatum est ebrietas? Quid ergo si volunt totæ ebriosis interminata a Spiritu sancto? Præter id ab Isaiâ scriptum et jam auditum, ibidem rursus legimus: *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem! Iterum Proverb. XX. Cui vax, cujus patri vax? Cui rixax? Cui fovax? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis. Scimus autem in ss. litteris vax, gehennam significare. Et qui illud apostoli, 1. Cor. VI. Neque ebriosis regnum Dei possidebunt? Num porro tam insipientes erimus, ut credamus Deum, ob leve tantum peccatum homines cælo excludere et mittere in ignem æternum? Audi, quid vener. Beda scribit, lib. IV. hist. Angl. c. XV. « Novi ipse fratrem, inquit, quem utinam non noscerem, cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ignobiliter viventem. Serviebat enim multum ebrietati, et cæteris vitæ remissioris illecebris. Percussus itaque languore, atque ad extrema perductus vocavit fratres, et multum mœrens, ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, et Satanam immersum in profundum tartari, Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum juxta eum flammis adultricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum!**

Audientes hæc fratres cœperunt exhortari diligenter, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam emendandi, cum ipse viderem judicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit: et corpus ejus in ultimis monasterii locis humatum: neque aliquis pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. Factum est hoc nuper in provincia Barniciorum, ac longe lateque diffamatum multosque ad agendam, non differendam scelerum suorum pœnitentiam provocavit. » Quæ cum ita sint, conemur, o Germani, et pro viribus conemur, ut infamiam nobis adpersam et toti orbi notam aliquando deleamus. Cur enim hoc non possimus, quod aliæ nationes possunt et observant, licet vino longe magis abundant quam Germani? Romani certe gentiles, ut ebrietatem a se arcerent, apertis ostiis cœnabant et bibebant, ut ita pudoris et modestiæ perpetuo memores essent. Ad hæc laneis et lineis cingulis tempora et frontem cingebant, dum biberent; ne vapores caput obruerent et perturbarent: item calvariam hominis versatilem inter epulas apponebant, ut morituros se cogitarent, apud auct. antiquit. Rom. lib. V. c. XXVIII. Faciamus hæc etiam nos Christiani, ne ab ethnicis superemur. Bibamus ita imprimis, ut Deum noverimus inspectorem, necnon honestos viros, quibus vitium hoc valde displicet: deinde, cingamus tempora vinculo temperantiæ; assuescamus sobrietati: denique, memores simus mortis, quod videlicet non solum improvisa adveniat ebriosis et potatoribus, sed plerumque etiam immatura. Pervulgatus ille potator, qui propter est, est, est in Italia mortuus est, (utinam non dicendum, damnatus est) multos habet socios. Plures occidit crapula quam gladius. Mortem igitur cogitemus et inferni puteum, qui paratus est ebriosis. « Quicumque ebriosus, inquit S. August. serm. CCXXXI. de temp. pœnitentiam de ipsa (ebrietate) non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit. »

CONCIO V.

MUNDI AMATORES NUNQUAM SATIARI, OSTENDITUR.

I. Non satiantur superbi. — II. Non avari. — III. Non luxuriosi. — IV. Non iracundi. — V. Non invidi. — VI. Non gulosi.

THEMA.

Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Marci VIII.

Sanctus Bernardus, in declamatione super id:

« Ecce nos relinquimus omnia, » declaraturus quam insatiabilis sit fames mundi amatorum, ita scribit: « Vidi ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus, siquidem buccis marinam masticabat arenam: secundus, sulphureo adstans lacui exhalantem deterrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem: porro tertius, fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hianibus excipere faucibus lætabatur: quartus, supra pinnaculum templi residens levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore; et si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire: quintus, seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus et maxime; proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat; nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ seiscitatus a singulis, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem. Tunc vero macilentissimas eorum facies contemplatus recordabar prophetæ gementis miserabiliter et dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quid hæc vobis, inquit, prosunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc provocant quam extinguunt. Panis namque animæ justitia est; et soli beati, qui esuriunt illam; quoniam ipsi saturabuntur. Nimirum ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest, capacem Dei, quidquid minus est, non implebit. » Hæc Bernardus, qui hæc descriptione quid velit, non est difficile investigare. Mundum enim, qui hostis Christi est, vult esse esurientium hominum congregationem insatiabili fame temporalia et peritura bona appetentium et simul verorum honorum spiritualium et æternorum nausea laborantium. Nihil enim comedunt quod satiare eos possit, ac proinde omnes fame cruciantur et pereunt. Quos enim putas marinam masticare arenam, nisi avaros? Quos sulphureum haurire vaporem, nisi luxuriosos? Quosnam scintillas ex ardenti fornace excipere, nisi iracundos? Quos in alto collocatos auram attrahere, nisi superbos et ambitiosos? Quos denique proprias carnes fugere, nisi invidiosos, necnon etiam gula deditos? Atque hæc est infelix illa regio, in quam incidit filius prodigus, cum e paterna domo discessit, de qua Dominus, Luc. XV. ait: *Facta est autem fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant et nemo illi dabat. De qua eadem regione intelligere possumus mystico sensu, quod in hodierno evangelio discipuli dixerunt Christo: Unde istos quis poterit hic satu-*

rare panibus in solitudine? q. d. tam famelicos, qui jam triduo tolerant famem, quis hos in loco tam solitario et sterili queat saturare panibus? Similiter quis mundi amatores insatiabiles poterit saturare in mundi solitudine tam sterili? Sat scio tamen hanc doctrinam plurimos non capere, nec credere, quippe sibi persuadeant, nihil sibi defore ad satietatem, si, quæ desiderant mundi bona, habere possent. Quorum errorem hic ostendam.

I. Superbi, auram attrahunt et flabello in oimpellunt supra templi pinnaculum. Pinnaculum enim templi in quo etiam ipsum Dominum statuit Satanus, dignitatum excelsas designat sedes, in quibus constitutus ambitiosus et superbus auram vani honoris attrahit et sibimet violenter ingerit, dum varios modos quærit, quibus ampliores honores acquirat, hominibus placeat, famam suam et nomen celebret, etc. Honor vero iste, quid quæso nisi levis aura et tenuissimus quidam fumus, qui honoratum afflat? Si quid enim in honore boni ac solidi est, in honorante est, non in honorato. Unde de superbo dici potest id Ose. XII. *Ephraim pascitur ventum*, id est, pascitur vento. Valde ergo spiritualis sit necesse est, qui hoc pastu satiari potest: quemadmodum superbissimus ille medicus Menecrates, qui se Deum appellare et divinitatem affectare non erubuit; cui proinde Philippus Macedoniæ rex soli ad mensam editorem se paratam adhibito acerram et suffitum apposuit, velut deo scilicet, qui solo thure pascetur; reliquis cum rege splendide epulantibus et Jovem famelicum ridentibus: unde is postea indignabundus se proripuit, Ælian. I. XII. cap. LI. Sic merito sunt ridendi, qui diu noctuque cogitant et laborant, quomodo ad altiores gradus ascendant, quomodo hominibus placeant et mundo celebres fiant; cum inanis aura sit ejusmodi gloria et fama, quæ instar venti solum distendit et inflat, nequaquam vero implet. Hinc fit ut nullo gradu contentus sit ambitiosus. nullo honore et splendore superbus. Qui significat est conatur fieri dux; qui dux, ambitu suum premum belli ducatum, etc. Sic et superbi in vestitu nullis vestium formis acquiescunt, sed novas in dies quærunt et excogitant. Maximo loco apud Assuerum erat Aman, secundus scilicet a rege. Convocavit hic ad se amicos suos et Zares uxorem suam et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum filiorumque turbam, et quanta cum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Interim tamen: *Et cum hæc omnia habeam, inquit, nihil me habere puto quamdiu videro Mardocheum Judæum sedentem ante fores regias, (qui scilicet solus honorem ei non exhibebat) Esth. V. Ecce superbia*